



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

Diana, Antonino

Lugduni, 1680

213. An si non adsit Sacerdos liceat laico absolvere moribundum à censuris, ut non careat Ecclesiastica sepultura? Et an in tali casu, quando absolutio à Sacerdote obtenta non est, ut post mortem ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76372](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76372)

Et ejus absolutione. Ref. CCXII. &c. 121

existimo. Sed non damnamus pium Parochum sequentem contrariam, & juxta eam sepelientem defunctum, & Missam pro eo publice celebrantem, maxime ubi de facili non potest adiri ad iudicem excommunicantem, ut ab eo absolutio impetretur antequam defuncti corpus sepultura tradatur. Itaque prefata absolutio multum proderit quoad predicta. Ita Valer. ubi sup. qui etiam notat, ut nos alibi diximus, laicum in predicto articulo mortis posse moribundo concedere indulgentiam plenariam Bullae Cruciatæ, & citat Navarrum de indulg. notab. 3. n. 3. Sed prima sententia est probabilior, & communis, in qua Concilium Tridentinum sess. 14. cap. 7. solis Sacerdotibus hanc facultatem concedit.

RESOL. CCXII.

An laicus possit absolvere morientem à censuris?
Et an possit laicus, quando non est Sacerdos applicare moribundo Indulgentiam Bullae Cruciatæ? Ex part. 3. tract. addit. Resol. 12.

Pro hac sententia negantes Doctores adduxi in 3. p. tract. 4. * resol. 133. sed pro affirmativa sententia ibi adduxi etiam plures auctores. Cuidam Casuistæ unius summæ viæ est hæc opinio improbabilis, sed immerito. Nam illam cum Avila loco citato in dicta resol. probabilem esse cenfeo, & præter DD. citatos absolute tenet hanc sententiam novissimè Philippus de la Cruz in thes. Eccl. tract. 1. §. 12. n. 4. ubi sic ait. [Notese tambien, que quando el penitente estando la hora de la muerte, no puede confessar algun pecado, aun en general qualquiera sacerdote le puede absolver de las censuras y aulente el sacerdote, esto es no haviendole, qualquiera, aunque sea seglar, lo tengo por comun, Rodriguez dice lo puede hazer de prima tonsura, que en mi opinion todo es uno, esto es que todos tienen igual potencia, como lo digo en el libro que intitulo, Norte de Confesores, y es doctrina de Sylvestro, fray Pedro de Ledesma, fray Ioan. de la Cruz, y otros, losquales dicen, que qualquier fiel bautizado aunque sea lego, y aun herege, puede absolver de las censuras. Dize lo fray Ioan. de la Cruz en dos palabras:] In articulo mortis vir baptizatus etiam laicus, etsi sit hereticus, & præcisus, absolvit ab excommunicatione. [A algunos ha espandado esto, y no se porque, que doctrina es comun; digolo assi, por haverme lo preguntado algunos, a quienes he satisfecho con razones, y autoridad, y assi basta esto acerca desta materia.] Ita ille. Notandum est etiam hic obiter, posse Laicum in articulo mortis, quando non adest sacerdos, applicare moribundo Indulgentias Bullae Cruciatæ. Ita ego alibi, & novissimè Agidius Trullench in Expos. Bullae Cruciatæ, lib. 1. §. 7. cap. 2. dub. 19. n. 6. ubi citat Navarrum & Reginaldum.

RESOL. CCXIII.

An si non adstet Sacerdos, liceat laico absolvere moribundum à censuris, et non careat Ecclesiastica sepultura?
Et an in tali casu, quando absolutio à Sacerdote obtenta non est, et post mortem profuit absolutio à laico data, expediat, ut obtineatur nova absolutio ab eo cui excommunicatio erat reservata, si commodè fieri possit: Ex part. 5. tract. 3. Resol. 77.

Pro sententia affirmativa, & negativa plures Doctores adduxi in 3. p. tract. 4. resol. 133. & ibi affirmativam sententiam etiam probabilem esse docui, & docet etiam Layman lib. 1. tr. 5. part. 2. cap. 6. n. 2. ubi negativam sententiam, quam ipse tenet, vocat tantum probabilior, & pro Affirmativa adducit

Tom. V.

Ref. CCXII. &c. 121

glossam, Abbatem, Sylvestrum, & Atmillam, quibus ego addo Philippum de la Cruz in Norte de Confesores, tract. 1. §. 1. ubi sic ait. [No hablo aqui de la absolucion de las censuras, que puede absolver dellas en el articulo de la muerte, no solo el aprobado, ni el simple Sacerdote, pero qualquier fiel bautizado, aunque sea herege, con la comun, como lo dicen Sylvestro, y Covarr. La razon aunque brev es, que el Clerigo de prima tonsura puede absolver de la destomunion, y assi por la misma razon ha de poder qualquier bautizado. Porque estando en derecho divino, ambos son capaces de la tal jurisdiccion, como es cierto, que al de primera tonsura no se le da facultad para absolver al descomulgado por ella que no siendo Orden, no le proviene della. Y assi hemos de conceder lo general, en que pueden absolver en tal caso de las descomuniones todos los fieles, siendo bautizados, aunque son hereges, no obstante, que otros digan lo contrario.] Sic ille. Et post hæc scripta inveni hanc doctrinam docere novissimè Philibertum Marchinum in suis Commentariis de bello divino, seu de peste part. 3. cap. 12. num. 3. & seqq. ubi probat non solum licere se qui hanc sententiam, cum sit probabilis, sed etiam teneri omnes illam sequi, quia cum ista absolutio lata à non Sacerdote vel à laico, non possit nocere, sed valde prodesse morituro ut in loco sacro sepeliri, atque communibus Ecclesiæ suffragiis gaudere possit, charitas Christiana postulat, ut data probabilitate huius sententiæ non illum in tanto periculo & necessitate spiritali deferam absque ullo meo incommodo. Et revera si Ecclesia pro articulo mortis confert jurisdictionem absolventi à censuris & peccatis cuilibet capaci talis jurisdictionis, hoc enim postulat Ecclesiæ benignitas, & favor animarum; sed laicus est capax jurisdictionis absolventi à censuris, si Papa velit eam illi demandare, quod à nemine negatur: ergo coniendum est illam eidem demandasse, atque hanc esse piam illius mentem, ut excommunicatus priveretur post mortem communibus Ecclesiæ precibus, suffragiis, atque Missæ sacrificio, cæteras rationes videbis apud ipsum.

2. Sed observandum est cum Trullench in Bull. Cruc. lib. 1. §. 7. cap. 2. dub. 5. num. 7. & Sanchez in summa tom. 1. lib. 2. cap. 13. n. 13. quod licet supradicta opinio, nempe laicum deficiente Sacerdote posse absolvere à censuris, sit probabilis, expedit tamen quoties à Sacerdote absolutio obtenta non est, ut post mortem profuit absoluto, obtineatur nova absolutio ab illo, cui excommunicatio erat reservata, si commodè fieri possit, quia si opinio dicta non sit vera, carebit absolutio valore suo, ac proinde postea non proderunt absoluto Ecclesiæ suffragia.

RESOL. CCXIV.

An sepelientes in Ecclesia excommunicatum absolutum à censuris à laico in articulo mortis peccent, & in penas, & censuram excommunicationis incurrant?

Et supponitur sepelientes excommunicatum in maiori excommunicatione, imò & lavantes & vestientes, vel funus ducentes incurrere excommunicationem.

Et resolutio supradictæ quæstionis pendet etiam ab illa, an laicus possit absolvere à censuris in articulo mortis, nam Ecclesia, & saltem Summus Pontifex hanc facultatem laico, & Clerico non Sacerdoti concedere potest, imò etiam & feminis?

Et docetur, quod Ecclesiastica sepultura deneganda est in casu claro, & manifesto, nam quando dubitatur, an cadaver sepeliendum sit, necne, tunc debet in loco sacro sepeliri: nam in partem favorabilem, & meliorem, inclinandum est. Ex parte 8. tract. 7. & Misc. Resol. 79.

L

§. 1. Sup.